IN DANIELEM PROPHETAM

EXERCITATIO ACADEMICA

Quam Auſpice, & Duce D. THOMA AQUINATE

PUBLICE EXHIBET

F. GUNDISALVUS ROSSI

In Neapolitano Or. Præd. ejuſdem D. Thomæ Collegio
Græcarum, & Hebraicarum litterarum Auditor

NEAPOLI MDCCLXXXI.

EX TYPOGRAPHIA MICHAELIS MORELLI

Auctoritate publica.

Digitized by Google

חיש מספר לגדודיו

Numquid eſt numerus agminum ejus? Job. c. XXV. v. 3.

אלף אלפים ישמשונה ורבו רבון קדמוהי יקומון

Millia millium miniſtrabant ei, & myrias myriadum coram eo ſtabant. Dan. cap. VIII. v. 10.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

EA eſt aſpectabilis hujuſce e cælo terraque nexæ compaginis rerum cum ſigillatim, tum univerſe dignitas & copia, ut fieri omnino non poſſit; quin ſerio quis non hebes & indocilis in eam conjectis oculis ſtatim ſummi Auctoris infinitam vim & artem ſentiat, qua & initio univerſa ut eſſent, & condita deinceps ut conſtarent, effecit: eoque magis omnipotentem illam, incomprehenſam, nulliſque terminis circumſcriptam admirabitur, quo minus complurium, quæ hac rerum univerſitate continentur, naturam, & rationes, quantumvis mentis ſuæ aciem eo intendat, aſſequetur. Enimvero ſi quotquot hæc mundana moles amplectitur, univerſa ſumamus, utut maxime idonea ad Dei cognitionem hauriendam, propemodum evaneſcent, ſi cum his, quæ præditæ intelligentia ſunt, ſubſtantiis comparentur. Equidem non inficias iverim ad ſupremi Numinis notitiam in nobis, qui ſenſibus utimur, excitandam id conferre plurimum, cum & tellus iſta nobis obverſatur, innumeris referta animalium ſtirpiumque generibus, aptiſſime interius exteriuſque ad viventium uſum compoſita; & cum corporum, quæ in ſublime feruntur, elementorumq: æquilibrium ac mixturam admiramur: Cum denique pulcherrima illa ac vaſtiſſima Cæli facies nos veluti obruit, innumeris fulgidiſque aucta ſideribus, magno numero, miro ordine, perenni æquabilitate, ſtatiſque temporibus vices obeuntibus ſuas; in tam immani præſertim ætheris ſpatio, ut inſtar exigui puncti a non paucis recentibus Aſtronomis cenſeatur vel tota illa, quæ per Saturni Sphæram pertinet, immenſa plaga, præ eo, quod ad Fixas uſque excurrit, longiſſimo intervallo.

Sunt, inquam, cuncta hæc maxima admiratione digna, & prorſus qualia incomprehenſam ſummamque Dei poteſtatem, & ſa-

& ſapientiam decent. Verum ipſe ut magis magiſque ſuæ bonitatis radios exterius effunderet, ſuamque virtutem luculentius exereret, longe majus, quod finis & veluti coronis eſſet ceterorum, eiſque dominaretur, molitus eſt opus, hominem nempe, qui cum corporis ſtructura elegantiſſima, tum potiſſimum mirabili intelligendi facultate longe reliquis anteſtat: quippe hæc & puriori, ut ſpiritali, prædita ſubſtantia eſt, & arcana quadam ratione in ſeſe convertit omnia per rerum ſimilitudines, quibus imbuitur; qua re ipſa proxime ad Deum accedit, qui una ſimpliciq; natura conſtans, omnium rerum rationes complectitur. Quo facto ſignum veluti quoddam Deus ſuſtulit, nobiſque ipſis argumentum indidit, quo continuo ad ſublimiores, perfectioreſque alios ſpiritus animo concipiendos aſſurgeremus, qui ſegregati ab omni concretione materiæ, quantum creata natura pati poſſit, quam ſimillimi Deo ſint. Nam cum in nobis intelligendi vis adſit, eamq; imperfectam, & quadam ratione mancam experiamur, exinde pronum nobis eſt, pro coſtanti naturæ ordine cognoſcere, ſubſtantias alias eſſe poſſe, quæ a quovis materiæ conſortio ſejunctæ, intelligendi vi nobis longe præſtent; eoque ſint nobis Deo ſimiliores, quo nos ſenſuum ope rerum ſpecies comparamus, illi contra haſce ſibi congenitas, atque ab ipſo primordio inſitas ſecum, uti Deus ipſe, gerant: quæque peculiaribus ſtupendiſque naturæ muneribus affluant: quippe quibus liceat non per vices ad latentia ex per ſe notis excurrere, ſed ſtatim in ipſis principiis quid ſit conſectarium videre, effectus item in cauſſis, & in effectibus cauſſas; præterea corpora quamlibet grandia celerrime non corporeis membris, ſed uno voluntatis imperio ciere, de altero ad alterum locum quantumvis diſſitum illico emigrare.

Cum autem nihil rerum ſit, unde præclara non erumpant argumenta, quibus Dei potentiam majeſtatemque cognoſcamus; id, inquam, cum cetera hujus rerum univerſitatis opera,

Digitized by Google

tum & hominis fabrica apprime præſtent; quo magis id nobis præſtabunt ſubſtantiæ illæ tot tamque admirandis virtutibus ornatæ, quæ per ſe ſunt prorſus omni materiæ admixtione ſecretæ? quæ cum ſint tam ingenti numero, ut omnium materialium ſubſtantiarum multitudinem magnopere excedant, tamque admirabili continuataque progreſſione invicem conſtent, aliique ſuper alios emineant, ut inſtructiſſimam quaſi aciem referant, & celſiſſimi illius Domini, qui toti orbi imperitat, imaginem exhibeant, ad illius ſupremam Majeſtatem contemplandam, & colendam nos vehementer accendunt.

Quæ cum ita ſint, in primis culpandus eſt Bekkerus, qui tam ſplendidum argumentum nobis eripere, atq: e manibus excutere conatus eſt, quo Deum propius cognoſcamus, cum per ſummam impudentiam ſpiritales illas ſubſtantias everſum magno molimine, ac negatum iverit. Cumque is teſtetur (1) *ex ver. II. Cap. II. Proph. Danielis veluti ſe prima lineamenta tam inconſulti ſyſtematis adumbraſſe: ſitque nobis præ manibus hoc anno Danielis ille ipſe locus; pro anniverſaria ſolemnis inſtituti noſtri ratione, quam fieri poteſt breviſſime demonſtrabimus, ex nullo loco minus quam ex illo opinationem ſuam derivare debuiſſe.*

(1) In opere gallice inſcripto: *Le Monde Enchanté* Préface ſur tout l'Ouvrage pag. 1.

Digitized by Google

Digitized by Google

Dan. Cap. II. verſ. 11.

זמלתא די מלכה שאל יקירה: ואחרן לא
איתי די יהונה קדם מלכא להז אלהין די
מורהון עם בשרא לא איתוהי

Sermo quem Rex poſtulat gravis, & alius non eſt qui indicet illum coram Rege: præter Deos, quorum habitatio eorum cum carne non eſt.

SUbit mirari cur ex hoc verſiculo anſam ſe arripuiſſe dixerit Bekkerus primo ſuſpiciones & dubia in vulgus ferendi adverſus communem de ſpiritibus ſententiam, mox apertum bellum indicendi, quo omnes omnino ſpiritus ſive bonos ſive malos e medio tolleret. Cetera ſacræ ſcripturæ teſtimonia, quibus pro lubitu abutitur ſusque deque habens, nunc nil moror; certe ex hoc loco nihil adverſus veritatem, quantumlibet ingenii ſui nervos contendat, extundet. Nam fac primo textum reapſe aliquid contra ſpiritus præſeferre; tunc non ſcriptoris ſacri ſententiam nobis, ſed Magorum Babylonis dictum Bekkerus obtruderet: non enim Daniel quid ipſe ſentiret expoſuit, ſed quid Chaldæi reſponderint, ut præſentiſſimum diſcrimen, quod ſuis cervicibus ab irato Rege impendebat, evaderent: non magis autem noſtra referret, quid de ea re ſapientes Chaldæorum exiſtimarint expendere: quam ſi Epicuræi Sadducæive ea pronunciaſſent.

Sed tantum abeſt ut locus ille ulla ex parte ſpiritibus adverſetur, eoſve Chaldæi ſapientes negaverint, ut immo nihil magis vulgatæ ſententiæ faveat. Nam cum Magi Regi reſponderint ſe ſomnium interpretari eſſe paratos, ſo-

ſomnium autem ipſum divinare quodnam fuerit, id nonniſi Diis licere; quid quæſo clarius, quam ſpiritales ſuſtantias eſſe, eaſque ſupra hominem egregiis virtutibus eminere perſuaſiſſimum eos habuiſſe? Quod ſi illud contendat Bekkerus, quod prima facie intendere videri vult (1), non omnia Diabolum noſſe; id ipſi ultro damus; nec enim nos tenemus univerſa Diabolo eſſe comperta, ſed cognitionis ejus veluti cancellos & fines præſcribimus: nec enim norunt quæ arcanis cordium penetralibus geruntur, nec item præterita, quorum nulla ſuperfuere veſtigia, ſi ad ea mentem, dum fiebant, non adverterint. At nec quidpiam tale verbis Magorum ineſt: immo contra ſpirituum ſcientiam extollunt, & ſibi negata fatentur, quæ unis illis ſervata exiſtimarent; quo ad ſpirituum ſcientiam adſtruendam nihil dici poterat præſtantius. Sed quæque tandem ea de re Chaldæorum Magi ſentirent, illud certe perſpicue patet, nihil minus e verbis illis colligi, quam nullos extare ſpiritus, quos palam immo adſerunt ac profitentur.

Anne Bekkerum verba illa movebant quæ adduntur, *quo-*

(1) J'avois choiſi pour Textes de mes ſermons en Chaire le livre du Prophete Daniel, & lors que je fus venu à l'expoſition de l'onxiéme verſet du Chapitre 2. ou les Magiciens avoüent qu'ils ne ſont pas capables de donner l'interprétation des ſonges du Roi, je tirai de cette déclaration des concluſions, qui prouvoient évidemment ce qu'on doit croire touchant l'étenduë de la connoiſſance qui eſt d'ordinaire attribuée au Diable. Enſuite ayant jugé a propos d'examiner quel eſt ſon pouvoir, & s'il s'etend auſſi loin qu'on le publie, des la primiere occaſion &c. *Le monde Enchanté* Préface ſur le premier Livre.

quorum non eſt cumcarne, ſeu cum hominibus converſatio? Verum hoc loquendi genere tantummodo intelligi id volebant, non poſſe cum illis, quemadmodum homines cum hominibus verſari ſolent, commercium iniri.

An forte *Deorum* nomen illum offendit? ſed quis neſcit Chaldæos, ut & cæteros Orientales populos Deorum nomine Dæmones intellexiſſe? Idque ipſum in Græcorum ſapientia vulgatiſſimum eſt, quæ alias tota ferme ab Oriente manavit, cum compertum ſit omnibus, primos Græciæ ſapientes, ſi alios terrarum tractus, orientem maxime eruditionis comparandæ cauſſa perluſtraſſe, qua in re, ut ſunt quamplurima & paſſim obvia, nihil opus exemplis.

Immo adeo communis fuit hæc apud univerſas nationes omnium ætatum ac locorum de ſpirituum cum bonorum tum improborum ſub nomine *Deorum* ac *Dæmonum* doctrina, ut Bekkerus ipſe, falſo ſibi perſuadens rem ſuam in eo agere, integrum ad id oſtendendum librum inſumpſerit, quo omnes Mundi plagas, a prima uſque origine ad hanc noſtram ætatem narratione repetita, cum percurriſſet, eidem opinioni mordicus univerſas gentes adhæſiſſe pleniſſime docet.

Sed Bekkerus ea immo ipſa in re, quod minus expectares, triumphos agit: nam cum docuerit tam late apud Gentes illam de ſpiritibus doctrinam patuiſſe; hunc ipſum fontem exinde ſtatuit, ex quo veluti per manus traditam Chriſtiani demum acceperint, adeoque inter aniles fabellas rejiciendam, utpote e cœnoſis Paganorum lacunis, tamquam e capite deductam.

Verum, ut id primo loco dicamus, non debuit tam fidenter, ne dicam impudenter, fabulis accenſere Bekkerus tam mirum concordemque tot nationum in idem conſenſum. Magnum namque habet auctoritatis pondus univerſalis gentium conſenſio: non enim eſt vero ſimile tot tantoſ-

toſque populos & loco & ætate, inſtitutiſque & moribus valde diſſitos, in eamdem certatim coire potuiſſe ſententiam, niſi ab ipſa veritate coactos, quam vel propriis experimentis ſint edocti, vel traditione a vetuſtis Majoribus manante, qui (ut Tullii verbis utar) *quo propius aberant ab ortu, & divina progenie, hoc melius ea quæ erant vera cernebant* (1).

Deinde ſi hæc traditio falſa & ſuperſtitioſa erat, mirum, quod Apoſtoli, quique eos ſunt ſecuti Eccleſiarum Antiſtites, ex Ethnicorum animis, qui Chriſtianis myſteriis initiabantur, eam opinionem ut extitialem evellere nil penſi fecerint. Quid? Hanc opinionem, ſi tam pernicioſa, tamque veræ pietati adverſa erat, quam vult *Bek.*, Chriſtus Servator noſter in plebem ſuam, cui ſe perpetuo affuturum eſſe ſpopondit, tamdiu ac tam late dominari ſineret? Quid? Spiritus Sanctus, cujus ductu Eccleſia regitur, quiq: ex Chriſti oraculo, *omnem veritatem* Fideles docturus erat, peſtilentem opinionem tam altas radices agere pateretur?

Sed quod eam in rem mire Pagani conſenſerint, eone cum Bekkero continuo reſpuemus? quaſi vero non & alia innumera, utpote communi veritatis fonte educta, Pagani æque cum Chriſtianis communia profeſſi fuerint. Ergo pleraque certiſſima Chriſtianorum Dogmata ſic rejiciat *Bek.*, quoniam ea item Pagani tenebant: rejiciat ſupremi Numinis exiſtentiam, immortalitatem animorum, & complura id genus ad Religionem, & morum doctrinam ſpectantia, quod eadem illi itidem confitebantur.

Quid quod cum Bekkerus e Paganis hanc de ſpiritibus opinionem in Chriſtianos inductam velit, nos contra

e

(1) *Tuſcul.* 1. *cap.* 12.

e ſacris libris, ut alia quamplurima quod vulgo inter doctos homines receptum eſt, Paganos hauſiſſe longe firmiori & veritati magis, conſeno argumento contendere jure queamus; in quibus quippe ſacris libris haud rara eſt Dæmonum atque Angelorum mentio. Et cum veteribus in idem novi conſpirent, a quibus nominatim recitandis conſulto ſuperſedeo, ne in re non dubia utar teſtibus non neceſſariis.

Sed hiſce ipſis en continuo idem *Bek.* intercedit, qui hæc ſacrorum librorum loca, quæ pro ſpiritibus aperte faciunt, aliorſum omnino ſpectare per inauditam interpretandi licentiam contendit: ea namque aut de hominibus bonis maliſve, aut de cogitationibus itidem dexteris ſcæviſve accipienda eſſe. Omnem veritatem evertere peſſumque dare quidnam erit, niſi hoc erit? & ſacris libris quid fiet, ſi tanta tamque effrenis atq: impudens interpretandi licentia invaluerit? Cuinam quidquid præſtantiſſimum ac divinum eſt, ut certe ſunt omnia, exinde eliminare, impios autem ſceleſtoſque ſenſus eis affingere non ſubibit? Sed hac in re nihil opus multis, quibus *Bek.* deliramenta deſtruamus. Namque utut inter illius gregis homines ſacros libros accipere, pro ut lubet, cuique nullius voci addicto impune liceat; hic tamen vix ceteri ſe ſe continuere, quin protinus in *Bek.* inſurgerent, eumque violentas manus ſacræ ſcripturæ intuliſſe palam criminarentur.

Niſi quod illud hic addemus, tum a ſenſu ſacrorum librorum naturali & paſſim recepto recedendi cuivis copiam fieri, nedum ab catholica fide alienis, ſi quid tale ex eo prodeat, ut aut abſurdum manifeſto agnoſcatur, aut fieri prorſus nequeat. Num quid ejuſmodi hic videre ſibi viſus eſt *Bek.*? Mitto etiamſi pro captu hominis abſurda ex opinione de ſpiritibus multa conſequi videantur; prudentis tamen eſſe, ubi de re agitur tot tantiſque fulcita documentis, tantaque conſtantia ubique gentium recepta, atque auctoribus

bus non minus profanis quam ſacris probata, captum ſuum auctoritati præſertim graviſſimæ potius ſubmittere, quam e ſuo captu auctoritatem licenter everſum ire.

Hoc, inquam, mitto: nam nec prudentia hic opus ulla, nec ulla humani intellectus depreſſione: nam quid, rogo, abſurdum enaſcitur, ſi ſpiritus credamus, niſi quæ vane ac ſimilia ſomniis commentus eſt *Bekkerus*?

Quinimmo nihil rationi magis conſentaneum videtur quam, cum Dei, utpote Agentis perfectiſſimi, perfecta ſint opera, & hoc Univerſum integrum, & ſuis numeris abſolutum cenſeri æquum ſit, extare in eo ſubſtantias aliquas naturæ perfectioris, adeoqne a materia ſejunctas, quæ melius quam homines rationem intelligendi, Deique ſimilitudinem aſſequantur; præſertim cum Deus in rerum productione eo videatur potiſſimum collineaſſe, ut admirabiles ſuæ naturæ dotes inde cognoſci ac ſuſpici poſſent: qui certe ſcopus nullo melius, quam magno hujuſmodi ſubſtantiarum numero tenebitur. Nonne & ipſo Univerſi nomine hoc admonemur, univerſos rerum gradus, qui fieri & eſſe poſſint, in eo contineri? Porro eas ſubſtantias eſſe poſſe nemo ſanus negaverit, immo vel *Bekkerus* ipſe, niſi verbis nos ludit, fatetur: & quæ tandem in eo repugnantia, quod ſubſtantia intelligens ſit ſine corpore, ex quo non modo per ſe non pendet, verum etiam in ſuorum munerum functionibus impeditur, aut ſaltem imminuitur?

Subſtantias autem ſpiritales eo velle explodere, quod non ſatis comprehendamus earum agendi rationem in corpora, hominis eſt nec vires ſuas, nec rerum naturam expendentis. Quotuſquiſque enim eſt, qui rerum vel ob oculos poſitarum modum & rationem expediat? Sane qui ita eſt comparatus, neget & Deum, qui maxime ſpiritalis eſt, in corpora agere poſſe; cum infiniti finitique diſcrimen nihil huc faciat.

Ab-

Digitized by Google

Abſurda autem, quæ fuſe congerit *Bekkerus*, leviora ſunt, quam ut in his excutiendis diutius immoremur: non enim aut Deo ſumus injurii, aut tribuimus nimium Diabolo, aut veræ pietati ſumus infenſi, ſi dicimus Deum pro juſtiſſimis conſiliorum ſuorum rationibus ſinere, aut efficere, ut boni quidem per dæmones ad virtutem exerceantur; mali autem vel reſipiſcentes revocentur ad officium, vel pro meritis ſeducantur, ac plectantur. Cui rationi eo ſtudioſius acquieſcemus, ſi animadvertamus Dei omnipotentis inſtitutum conſtantiſſimum illud eſſe, ut e malis bona eliciat. Quod egregie confirmat *S. Thomas* tum alias, tum I. P. Q. LXIV. Ar. IV. his verbis: *Angeli ſecundum ſuam naturam medii ſunt inter Deum & homines. Habet autem hoc divinæ providentiæ ratio, quod inferiorum bonum per ſuperiora procuretur. Bonum autem hominis dupliciter procuratur per divinam providentiam. Uno modo directe: dum ſcilicet aliquis inducitur ad bonum & retrahitur a malo: & hoc decenter fit per angelos bonos. Alio modo indirecte: dum ſcilicet aliquis exercetur impugnatus per impugnationem contrarii. Et hanc procurationem boni humani conveniens fuit per malos angelos fieri, ne totaliter poſt peccatum ab utilitate naturalis ordinis exciderent.*

Ex his, quæ diſputata ſunt hactenus, facile patet, quid & de Oraculis, & de Magia, deque id genus aliis ſentiendum exiſtimemus. Nam ſicut illos non probamus, qui falſa hæc omnia eſſe contendunt, atque animis hominum eripere nervis omnibus conantur; ita nec illis acquieſcimus, qui his omnibus fidem continuo adhibent nimium creduli; eaque omnia & ipſi protinus ebibunt, & aliis ſecure propinant. Cum ſpiritus eſſe, eoſque agendi in homines facultate donatos exploratiſſimum habeamus, mediam ineundam eſſe viam putamus, qua veris falſiſque ſuus ſit locus, prout res ipſa ſuadet rite recteque atque intimius perpenſa.

Digitized by Google

Ipſe (Deus) eſt enim qui in principio condidit mundum, plenum bonis omnibus viſibilibus atque intelligibilibus rebus; in quo nihil melius inſtituit, quam ſpiritus, quibus intelligentiam dedit, & ſuæ contemplationis habiles capaceſq. ſui præſtitit. Qui cum præſciret angelos quoſdam per elationem, qua ipſi ſibi ad beatam vitam ſufficere vellent, tanti boni deſertores futuros, non eis ademit hanc poteſtatem; potentius, & melius eſſe judicans etiam de malis benefacere, quam mala eſſe non ſinere. S. Aug. de Civ. Dei lib. 22. cap.

VA1
1544582

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google